

Anno 1519. Maximilianus Imperator duodecimo Ianuarij, quo die etiam in Cesarem ante annos 33. electus fuerat, mortuus est anno etatis sue sexagesimo tertio, Heroum Climacterico nono, cum intempestuè pharmacum incertæ efficacie contra morbum, quem sibi imminere putaret, haussisset. Indixerat Maximilianus Comitia ob Lutherum, & alias causas publicas, quibus interesse ipse voluerat. Sed morbo superatus, eodem tempore ad Comitia celestia vocatur, ubi Lutheri doctrinam cum omnibus Angelis & beatis in æternum approbat & unanimiter profitetur. Paulo post Leo Carolum Miltitium cubicularium suum, natum in Misnia, mittit in Germaniam ad Fredericum Electorem petens, Lutherum Romæ sisti, aut etiam ut Romam pertrahi, aut ad minimum finibus Germaniæ eijci. Cum vero Germaniam cepissent animaduvertere fraudes, & tyrannidem aduersariorū, non Verbo, sed gladio pugnare volentium, nihil aliud Miltitius efficit, nisi ut ad colloquium cum Luthero Aldenburgi admittatur, ubi quoq; aliud nihil constituitur, nisi ut utraq; pars, Lutherus, & Pontificia, abstineant à scribendo, & Lutherus scripto totum negocium Pontifici exponat, & se ei submittat. Miltitius Tezelium ad se vocat, increpans eum propter impudentiam, qua ignominia notam inusserit Romanæ sedi. Tezelius igitur in morbum incidit. Lutherus scriptis ad eum literis consolatur egrotum, & ad